



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1620 usque ad annum 1623

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1777

VD18 90118855

§. 68. Christiani Brunsvicensis Ducis grassationes.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67344](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67344)

ves intercepti facultatem cuiuslibet Sæc. XVII.
concederet. A. C. 1621.

§. LXVIII.

Christiani Brunsvicensis Ducis grafsationes.

Mense Octobri ex Saxonix inferioris Principibus in Palatini favorem novus Cæsaris hostis in aciem prodiit. Erat is Christianus Brunsvicensis Dux, intrusus Episcopus Halberstadiensis, qui apud Batavos posito militix tyrocinio, viginti annorum juvenis animo audax, ferocia præceps, atque impavidus obsectæ consortium collapsas Friderici res erigere statuit: Collecto igitur majore, quam vires illius sustinere poterant, exercitu in Palatinatum moturus, aliquot Equitum, peditumque millia ad Mindensem, Hildesheimensem, & Brunsvicensem ditiones præmisit. Hi vero sub Duce ad omnem vitæ licentiam effuso, lascive, petulanterque egerunt omnia, & non tam hostibus, quam civium, & rusticorum bonis bellum indixere: Quocirca Saxonici Principes, & præcipue hujus Pseudo-Episcopi Frater Luneburgensis Dux collectis copiis in hosce prædones impotentibus furiis debacchantes inopino impetu irraunt, ac subito oppressos

*Lotich. Rev.**Germ. l. 10.**cap. 6**Meteran.**l. 41.**Brachel.**Hist. l. 1.**pag. 43.**Carafa**p. 111.**Merc. Gal-**lob. t. 9. l. 2.*

Sæc. XVII. pressos cædunt, & dissipant, armis & A. C. 1621. vexillis sex direptis, eorum quoque Tribunis acerbe vapulantibus. Christianus tamen obfirmato adversus fortunam animo residuas ex clade copias colligens, facto per Hassiam itinere, & occupata per dolum Amænoberga ditionis Moguntinæ oppido ingentem omnis generis bonorum prædam inde abduxit: hoc successu elatus, Neostadium usque processit, ac indigenis in Palatini fidem jurare jussis, circumvicina oppida, pagos, & arces, quæ ad Ludovicum Hassiæ Landgravium, aliosque Nobiles spectabant, exactio- nibus, ac deprædationibus exhaustis, permissaque suis militibus ubique prædandi licentia, Valium & Gleimam urbes incendio delevit, inde per Franconiam junctis cum Mansfeldio viribus rem Palatini curaturus suas deprædationes latius extendit.

§. LXIX.

Christianus Brunsvicensis ex Hassiæ finibus in Westphaliam recedere compulsus.

Bellus l. 5. pag. 601.

Perceptis novæ hujus violentiæ ausibus, iterato Ludovicus Hassiæ Landgravius Christianum hortabatur, ut peregrini militis vires trans Rhenum, Mænum-